



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singulos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Lambertus Ep. M. 17. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Dunstano spectandam se dedit, monuitque corpusculum tolleret integrum tunc etiam, si membra, quibus in molli ætate ad levitatem abusa esset, exciperet. Iuum & inspectum monumentum est, fidemque fecerunt præter oculos, pedes & manus, omnia reliqua à tabo immunia membra. Sed & in dextrâ pollex à putredine fuit eximius. Quid? quòd cum miraculum Canutus Rex rideret, referato iterum loco media sepulchro se extulit, manumque injicere improbo paravit? Supplicem tamen & in gratiam recepit, & inter undas postea servavit. Magni hæc olim Anglia miracula faciebat, pluris ego Angliam, si in vitam nobis EDITHAS revocaret. *Ex Graf.*

*A tuâ dignitate nimis enormiter & ignominiosè te dejicis, si transitorias & inanes pulchritudines appetis. Mundus propter te factus est; ideo mundum non ames. quia Mundus non est te dignus, cum sis eo longè dignior.* S. Bern. opusc. de Char. 29.

S. LAMBERTUS EP. M. 17. Septembris.

**L**AMBERTVM Trajectensi mitrâ ornatum Theodoricus Rex in exilium expulit. Ille cum in Monasterium Stabulense se recepisset, tum denique in patriâ sibi visus est vivere, exilium omnium miserrimum maximumque mundum ratus. Obsequio sancto fasces suos ita submisit, ut Abbatis imperio, sævissimâ hieme, sub cruce precando noctem transegerit, unico contra frigoris asperitatem cilicio armatus: sed hoc scilicet divini in pectore ignes propulsarunt, quos in reducis vultu splendor insolens prodidit. septimo abhinc anno cum Pipinus Rex Trajectensibus Pontificè suum, Pontifici solium suum reddidisset, hic tum gra-



17. Sept.

VITÆ SANCTORVM.

453

gratum se fore existimans, si regię famę & salutem  
confuleret, liberrimis verbis ob pellicem Alpaida  
castigavit, hanc neque poculo neque alloquio, li-  
cēt multum ambiret, dignatus. Ostendit etiam  
hęc, quid mulier irata & pellix posset; & germa-  
no adnrente Dodone, LAMBERTVM cum sociis  
obtruncavit. Sed & cælum iratum ostendit, quid  
contra impios posset. Et Dodoni quidem putre-  
scenti humum etiam negatam scribunt: eum verò,  
qui Divo lethale vulnus infixit, duello & fratrem  
peremisse, & peremptum ab eodem fuisse; omnes  
denique scelerum socios aut mortuos illicò esse,  
aut diu, hoc est miserè, vixisse. Illud omnino me-  
morabile, odium, quo infandos amores perseque-  
batur LAMBERTVS, ab animo etiam in corpus de-  
mortui transisse, & cum passim exanimi oscula  
ferret vulgus, arcanâ vi solas ab his pellices exclu-  
sas esse. Atque hujus odii tam sancti hæredem te  
hodie LAMBERTVS vult, Mariane. *Ex Surio  
& Grass.*

*Quid suavius homini, quid jucundius, quàm mun-  
dum contemnere, & se reputare secundo celsiorem, atque  
in bonæ conscientia vertice consistentem mundum habere  
sub pedibus, & nihil in eo videre quod appetat, cui invi-  
deat, quem metuat? S. Bern. op. de Char. c. 18.*

S. SATYRUS C. 17. Septembris.

**A**Mbrofium in SATYRO vides. Nam frater hic  
illius fuit, non virtute modò sed vultu quo-  
que & habitu corporis tam germanus, ut familia-  
rium etiam oculos falleret. Et nesciissent hi sæ-  
pius, quemnam ex duobus alloquerentur, nisi  
amor & vitæ morumque similitudo, adeoque ani-  
morum consensus unum jam pridem ex geminis  
fecif-